Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1997

Quelle:
Copyright:

nu insignitus est: *Dialogus petri Baiolardi.* Ridiculam nominis hujus originem narrat Codex D. *Emmerammi*, e quo *Bern. Pezius* in *Thes. Anecdot.* T. III. P. II. *col.* 625. *Petri Abaelardi Ethicam* vulgavit. Ait enim, Magistrum *Tirricum* (Theodoricum Aremoricum) *Abaelardo* difficultatibus mathematicarum Lectionum aliquantum perculso dixisse: *Quid canis plenus nisi lardum bajare consuevit?* Bajare *autem lingere est. Exinde Bajolardus appellari coepit.* Quod mihi nugatorium videtur, qui *Baiolardi* nomen potius ex *Abqilardo* ortum putem truncato vocis initio, uti multarum gentium in propriis Nominibus mos est. *Abaelardum* porro, quod adtinet, non feram ligna in silvam. Notissimus est hic Sec. XII. Scriptor ingenio et eruditione, Philosophiae in Sacris usu, dicam, an abusu? calamitatibus suis. Opera illius *Parisiis* 1616. ab *Andr. Quercetano* et *Franc. Amboesio* 4. edita postmodum *Edm. Martenius Theologia Christiana, Expositione in Hexameron, Rhythmo de S. Trinitate, Bern. Pezius Ethica* seu Libro *Scito te ipsum* auxere. At, qui *Dialogi* praesentis meminisset, praeter *Frisium*, qui in *Bibl. Gesnero — Simleriana* nostrum istud Exemplar citat, novi nunc quidem neminem. Argumentum ejus ex ipso, quem adscribam, ingressu patebit: *Aspiciebam in visu noctis. et ecce uiri tres diuerso tramite uenientes. coram me astiterunt. Quos ego statim iuxta uisionis modum cuius sint professionis. uel cur ad me uenerint interrogo. Homines inquiunt sumus diuersis fidei sectis innitentes. Vnius quippe dei cultores esse nos omnes pariter profitemur. diuersa tamen fide et uita ipsi famulantes. Unus quippe nostrum gentilis. ex his quos phylosophos appellant. naturali lege contentus est. Alii duo vero scripturas habent. quorum alter iudeus. alter dicitur christianus. Diu autem de diuersis fidei nostrę sectis inuicem conferentes. atque contendentes. tuo tandem iudicio cessimus. Ego super hoc itaque vehementer ammirans. quis in hoc ipsos induxerit. uel congregauerit quero. et maxime cur in hoc me iudicem elegerint. Respondens autem philosofus. mea inquit opera hoc est inceptum. quoniam id suum est philosophorum rationibus inuestigare. et in omnibus non opinionem hominum sed rationis sequi ducatum. Nostrorum itaque scolis corde intentus et tam ipsorum rationibus quam auctoritatibus eruditus ad moralem tandem contuli me philosophiam que omnium finis est disciplinarum. et propter quam cetera omnia prelibanda iudicaui. Hic de summo bono et de summo malo. et de bis que uel beatum hominem uel miserum faciunt. quo ad potui instructus statim apud me diuersas etiam fidei sectas quibus nunc mundus diuisus est studiose scrutatus sum. et omnibus inspectis et inuicem collatis illud sequi decreui. quod consentaneum magis sit rationi. Contuli me igitur ad*